

operibus Callimachi nihil sit reliquū, prēter hymnos istos & pauca epigrā-
mata, sparsim apud alios extantia: non putauit committendum fore vt iste
reliquiae quamlibet exiguae negligerentur. Quantus enim fructus ad lecto-
rem Græcarum literarum & philosophiæ studiosum ex hoc autore redeat,
tum ex suprà commemoratis est euidens, tum ex ipso artifice, quem opus
suum commendabit, apertissimè intelligetur. Gratum igitur hunc meum
laborem iuuentuti fore arbitror, quem istis reliquiis exornandis, pro virili
mea publicis inseruiturus commodis, impendi: tametsi & maledicos olfa-
cio, qui propositum meum odiosè sugillent, & inuidos, qui malitiosè sub-
sannent. Contra quorum morsus vt tua, generosissime Comes, ope & pa-
trocinio, tanquam Aiacis clypeo, aut Palladis ægide, tutus sim, totum hoc
quantulumcunque est Callimachi opus, Latinis versibus à me redditum &
annotationibus explicatum, G. T. D. offero & commendō. Est enim G.
T. D. artium & literarum humanarum studio ita exculta, vt non solùm de
propositis in conuictu rebus, Latinè & eleganter differere, sed etiam alio-
rum dicta soleter dijudicare possit. Quo fundamento præclarè iacto,
nuper ad legum & iuris ciuilis studium feliciter aspirauit: in quo tantos fe-
cit progressus, vt ad rerum gubernacula dexterius gerenda, non parum cō-
modi & emolumenti hinc allatura esse videatur. Tum verò omnium quæ
ad religionis cultum pertinent, tanto amore afficitur, vt optimo cuique be-
ne de se sperandi latissimam fenestram aperuerit: quòd & legum litera-
rūmque discendarum ardens in ea desiderium, & laudandus pietatis amor
est. Etsi his rebus scio laudari principes & rerum dominos non solere. pium
& eruditum hominem dici, hodie priuata laus est, nec multum habet com-
mendationis in rege aut viro principe: generosum, fortem, iustum, seuerū,
locupletem, beneficū, largum, magnificū: hæ sunt regiæ & splendidæ lau-
des. T. verò G. D. ne his quidem ipsis virtutibus orbata est: quæ quantum
cæteros pietate & doctrina, tantum & comitate ac munifica liberalitate
antecedit. Id enim vno ore omnes reipub. Tubingensis ciues mecum fa-
tebuntur, tuaque in se maxima beneficia, cum omni posteritate, grata me-
moria perpetuò prosequentur. Sed quid mirum, te his maximis virtutibus
excellere, quum ad generosam tuam indolem optimorum virorum lau-
dabilis accedat institutio? quos quum illa summo amore & veneratione
colat, fieri non potest quin pulcherrimæ virtutes inde proficiscantur.
Habet enim G. T. D. duos vitæ morūmque magistros, tanquam Ne-
storem & Phœnicem, Ioannem Syluagium, Dominum à Coubeke, &
Matthæum Delium Hamburgensem: quorum ille, & generis dignitate,
& omnium virtutum ornamenti, tum optimarum linguarum, Latiniæ,
Gallicæ, Hispanæ, & præter vernaculam Belgicam, etiam nostra-
tis Germanæ peritia plurimum excellit: tum verò multarum rerum lon-
go usu, & militari disciplina, compluribus iam annis exercitus & prom-
ptus est: hic autem, optimarum artium, philosophiæ, poetices, musi-
cæ, linguarum & iuris ciuilis doctrina ita ornatus, vt nihil de eo tam
magnificè dici possit quod virtus eius non supereret. Siue enim linguam
causis acuit, seu ciuica iura Respondere parat, seu condit amabile carmen:
Prima feret hederæ victricis præmia. Plura de his dicere singularis vtrius-
que modestia prohibet: quorum virtutes vix ab ullo prædicabuntur, vt